**Morbum convulsivum a viso spectro ... / praeside Friderico Hoffmanno ... publicae disquisitioni exponit Johann George Glytz ... Die 15. Aprilis A.O.R. M. DC. LXXXII.**

**Contributors**

Hoffmann, Friedrich, 1626-1675.
Glytz, Johann Georg, 1658-

**Publication/Creation**

Jenae : Typis Nisianis, [1682]

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/vawcqez6

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

25

Q. D. B. V.

# MORBUM CONVULSIVUM

à

# VISO SPECTRO,

*Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ Conſenſu,*

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO,

Med. Doct.

Publicæ disquiſitioni exponit

JOHANN GEORGE Glytz/

Zittâ Luſat.

*In Auditorio Medicorum.*

Die 15. Aprilis A. O. R. M. DC. LXXXII.

---

JENÆ, Typis NISIANIS.

A & Ω.

# Prooemium.

COrpus noſtrum machina ſenſui externo deprehenditur longè artificioſiſſima mechanicè conſtructis organis gaudens: In hoc tamen differt ab aliis automatis, quod hæc vel gravitate ponderum vel elatere pinnuarum per vectes rotulasque moveantur, noſtra autem machina à longè occultiori ∽ali cauſa. *Hic ♈ ſeu calidum innatum non △ quidam eſt, non aliqua depaſcens humidum facultas, ſed aſtralis proſapiæ, qui proportione ſtellarum elemento reſpondet, ut acutiſſimè* Philoſophatur *Ariſtot. l. 2. de Generat. Anim. c. 3.* Cui divinus *Cous* aſſenſum præbet, dum *l. de Carnibus ſ. 3. p. 249.* inquit: *Quod calidum ſive θερμὸν vocant, id mihi immortale eſſe videtur, cunctaque intelligere, videre, audire, ſentireque omnia tùm præſentia, tùm futura.* Uti enim aſtra in macrocoſmo omnia ordinatè agunt, diſponunt, vires ac calorem corporibus naturalibus elargiuntur: ſic ∽ noſter ſenſitivus virtute plaſticâ præditus omnia ordinate agit in corpore, temporis, numeri ac ponderis eſt callentiſſimus, caloremq; vitalem ac motum partibus organicis fœnerat. Et ob hanc quoque cauſam merè electivus exiſtit noſter ſpiritus, amicis gaudet, & hoſtilia averſatur illaque ſummo impetu à communione vitæ excludere nititur. Impetuoſus hic ac concitatiſſimus ſpirituum mo-

tus evidens admodum ac perſpicuus evadit non ſolùm in inſultibus febrilibus, verùm etiam in motibus partium convulſivis ac ſpaſmodicis, quorum cauſæ arduæ cognitionis ac impendiò intricatæ ac abſtruſæ, illis, qui ſpirituum indolem minùs cognitam habuerunt, ut veteribus extiterunt, & hinc quoque morbum ſacrum Epilepſiam ſalutârunt, quod divinitùs credebatur immitti. Raras ac miras motuum talismodi convulſivorum ſpecies qui expetit ac penè hyperphyſicas, adeat *Heer. l. 2. Obſ. 1.* it *Salmuth. C. 3. Obſ. 30. Horſt. Ep. ſ. 6. p. 356. Timæum in Epiſt. p. 20.* Ego jam in præſentiarum raram motûs convulſivi ſpeciem, à viſo ſpectro in adoleſcente anno abhinc obſervatam tradere, illiusque cauſas, naturam ac curationem methodo analyticâ medico-chymicis fundamentis ſuperſtructâ explicare ac delineare conſtitui, adductus præprimis ad hanc materiam, quod caſum iſtum rarum duce *Excellentiſſ.* Dn. D. WEDELIO, qui heroicis medicamentis, ipſum ægrum curavit, ipſis oculis viderim, omnesque circumſtantias, omniaque phænomena annotaverim. DEUS noſtris conatibus aſſiſtat.

## HISTORIA.

*ADoleſcens XIX. annorum, temperamenti melancholico-pituitoſi, conſtitutionis lunaticæ ſcabioſâ lue per aliquot tem-*

*tempus vexatus, veſperi cum in ſervitiis domini ſui deprehenſus eſſet, ſpectrum in platea perſpicit. Horrore ac timore plus quam panico perculſus mox pondus ipſius ſpectri axillis incumbentis ſummo cum angore perſentit, in ædes tandem miſerè ac planè exanimatus ſic delatus horrore ſudore frigido, debilitate virium, appetitûs dejectione per* 14. *dierum ſpatium tentabatur. Mox alio tempore ſpectrum eâdem formâ notum pollicem pedis dextri quaſi extrahere moliens lecto decumbenti in conſpectum venit. Pollex inſigni rubore altero die ſtipatus in ſuppurationem tandem abiit; Sequebantur brevi immanes*

*convulſiones ac conductiones nervoſi generis, ita ut inſtar arcûs inflexi corpus in ſublime attolleret, nunc inſtar globi incurvaret, linguam morſicaret, & quidem cum concomitante calore partium p. n. pulſu citatiori, ſiti, alvique contumaci adſtrictione; Lingua nonnunquam deficiebat, nonnunquam etiam delirè loquebatur, imò per feneſtram ſeſe præcipitare minabatur. Paroxyſmus hic rediit per certa intervalla ac periodos ſtatis temporibus, ſibique ipſi prædicere ejus adventum potuit, dum auræ cujusdam adſcenſum ex inferioribus ad ſuperiora per dorſum tendere perſenſit. P.C.*

# CAPUT I.

## De morbis Convulſivis, illorumq́; cauſis in genere.

I.

AFfectûs hujus convulſivi ſpaſmodici indolem cauſasque antequam penitiori indagine proſequi incipiam, pretium duxi operæ, motuum convulſivorum in genere tradere quandam ſynopſin ac explicationem. Ut autem feliciori viâ progrediamur, attendendæ veniunt quædam differentiæ. Nimirum in tractandis affectibus convulſivis diſtingvunt nonnulli in motus convulſivos generis nervoſi & generis tendinoſi. Illi dicuntur CONVULSIONES, & facilè degenerant in Epilepſiam, adeò ut nervuli ſat tenuis ramificatio læſa in pollice Epilepſiam in totum corpus transferat. Hi particulares magis ſunt, & κατ' ἐξοχὴν quaſi dicuntur MOTUS CONVULSIVI SPASMODICI.

II. Motuum nervoſi generis ſpaſmodicorum ſeu convulſionum tres à *GALENO* numerantur ſpecies. Prima eſt ἘΜΠΡΟΣΘΌΤΟΝΟΣ, quando cervix & ſpina reliqua in anteriora convellitur. Altera ὈΠΙΣΘΌΤΟΝΟΣ quando contracti ſunt nervi, qui corpus in poſteriora reflectunt, & tertia dicitur ΤΈΤΑΝΟΣ, & fit quando cervix & reliqvũ corpus ita riget, ut pari niſu à muſculis contrariis violenter tenſum in æquilibrio quaſi permaneat. Noſter affectus ad primam pertinet ſpeciem, nimirum ad ἘΜΠΡΟΣΘΌΤΟΝΟΝ.

III. Ut autem motus convulſivi & irregularis natura ac cauſæ rectiùs innoteſcant, indagandum primò eſt, quomodo functio motiva regularis in corpore animato peragatur. Non autem motûs regularis inſtrumentum juxta *WILLISIUM* aliosque ſp. animales conſtituunt ſoli, quippe hi puriſſimâ quidem lucidâ materiâ inſtructi, aſt ad motum partium efficiendum vix ſufficientes ac proclives ſunt; in communionem itaque non immeritò vocandum eſſe cenſemus ſp. vitalem ex ſangvinis fermentatione

or-

ortum ac particulis elaſticis ⊖no-lucidis △eis magis gaudentem, qui partibus non ſolum calorem, verùm etiam motum ac ſenſum ſimul fœnerat, quod præter alia confirmat experimentum à STENONE, it. à *WILLISIO* communicatum : Quo nimirum arteriâ partis cujusdam ligatâ non aliter ac nervo præciſo, vel obſtructo omnem motum ac ſenſum partis perire adſtruitur.

IV. Quò officio autem ⁓ animalis fungatur in ſenſu ac motu efficiendo, penitiùs ut expendam, è re fore duco. Nimirum, ut lux vitalis ſeu Archeus, qui ſenſus ac motûs opifex dicitur, in partibus emergat, ⁓ vitalis radios lucidos in partibus à principio quodam fixativo fixandos ac reflectendos eſſe concludimus, nixi fundamentis naturæ familiaribus. Principium nempe fixativum provida natura ubique conſtituit. Sic nullus fons eſſet obſervante *Becch. in Phyſ. ſubterr. p. 85.* niſi concretum quoddam argillaceum natura pro concentrandis vaporibus Archeo ſubterraneo ſurſum motis ▽eis conſtituiſſet. In regno minerali Gas ſive effluvia ♀eo-☿alia incoercibilia non coagularentur in metalla, niſi principium quoddam fixativum natura per argillas (quæ Ωtæ annotante eôdem *Becchero l. c.* puriſſimum æthereum ⁓ elargiuntur) mineralibus poſuiſſet, in quibus illa effluvia in metalleitatem fixari poſſint. Eôdem modo in corpore noſtro glandulares glomi ubique adſtites vapores lymphaticos calore ſurſum dimotos colligunt ac concentrant in lympham. Porrò quoq; radii ☉res △e vecti in lapide Bononienſi calcinato ſ. creta cum ⁓ ⦶ ætheriſata ac calcinata quàm optimè figuntur, concentrantur, ut hinc variè reflexi phoſphorum conſtituant, qui tempore nocturno luce lunari fulget. Spectat huc locus elegantiſſimus apud COSMOPOLITAM, dum inquit de capiendo ☿ philoſophico : △ generat magnetem noſtrum, & magnes noſter ſeu △ concretus apparere facit inviſibilem △ noſtrum. Liceat hæc applicare in noſtrum ſcopum : ⁓ nimirum nervoſus eſt quaſi magnes à ⁓ vitali ♀eo ortus, qui ipſam ſpirituum lucem in partibus apparere facit, quæ lux vitalis non immeritò ſpiritus ſenſitivus, ſeu Archeus ſalutari debet.

V. Spiritum autem noſtrum ſenſitivum revera eſſe lucidum, quamvis ſenſus eludat fallatque, à poſteriori tamen probat ipſi-

us penetrantia omnem arcens putredinem facultas. Idem adſtruunt flammæ è partibus animalium ſparſæ, de quo videri poteſt *BARTHOLIN. de Luce Animal.* Item excrementa, v. gr. ⊡, quæ lucida ſæpè obſervata fuit, & ex quâ induſtrius quidam Chymicus ſuum phoſphorum parare ſolet.

VI. Porrò præter ſingulare hoc officium & movendi quandam facultatem ⁓ animales puriſſimi illimitati ad quasvis impreſſiones ac formas recipiendas maximè capaces ac apti exiſtunt, quam impreſſionem ejusque diſpoſitionem agendi radio occulti regiminis ſpiritibus vitalibus, cum quib9 perpetuum ipſis intercedit commercium ac naturæ collegium, communicant, qui iſtius occulti regiminis animalis ſunt exſecutores, uti adfectus, venena, medicamenta univerſalia, quæ immediatè ſpiritus animales alloqvuntur, & toti corpori communicantur, id faciunt teſtatum. Sunt enim ſpiritus hi nervoſi annotante *Illuſtri Verulamio p. 568.* quaſi rota ſuprema, quæ alias rotas in corpore humano circũagit.

VII. Adeoque ex hiſce patet, ſubjectum ut quo, uti ſenſus ac motus naturalis, ſic quoque p.n. ac convulſivi primarium eſſe ſpiritus animales, ſecundarium ſpiritus vitales. Subjectum ut quod ſunt partes membranaceæ ac muſculoſæ. Hæ enim nectare ſangvineo ac lymphatico utriusque ſpiritus vehiculo ſunt perfuſæ, ibi celebratur ſpirituum vitalis fermentatio, mechanica adeſt conformatio fibrarum ad motum maximè proclivis. Uno verbo, palæſtræ ſunt ipſius Archei, ut hinc non immeritò *Helmontius*; Sedem animæ ſenſitivæ in viſceribus membranaceis v.g. orificio ſiniſtro ventriculi, utero, in quibus admodum Archeus viget, locaverit.

IIX. Porrò quomodo motus partium carnearum ac muſculorum peragatur & à quânam causâ ille dependeat, indagandum venit. Explodi ſpiritus pulveris pyrii ſeu ⊙ fulminantis ritu in partibus ſtatuit *Williſ. de Morb. Convulſ. p. 3.* Verùm ſimilitudo hæc ad cauſarum ſcrutinium ſi extenditur, admodum langvet. Non enim in ſpiritibus ⦶ſum nec ♀eum inflammabile latitat principium, multò minùs ſpecifica talis mixtio, qualis in pulvere pyrio locum habet, obſervatur in illis. Neque etiam fibræ, quæ corpora ſunt ſolida manifeſtò inflantur, nec in majo-

rem molem exſurgunt, quod aliàs fieri debebat. Potiùs itaque motus muſculorum adſcribendus eſt influxui ſpirituũ tùm vitalium tùm animalium, ſimulque humorum, puta ſangvinis & lymphæ in partes, hi enim πολύχοον (ut Hippocratico termino utar) ſeu impetum faciens principium poſſidentes in carnem ſeu ſtaminum nervoſorum & fibroſorum molliſſimam texturam irritati à cauſa naturali ſummo impetu influunt & ad majorem tumefactionem indeque abbreviationem fibrarum carnearum, & conſequenter extremorum adductionem, motum conſtrictivum muſculis proprium efficiunt. Et hinc concipere licet ſimul momentaneam quandam irradiationem ac imperium ſpirituum, qui in humores, utrique autem in ſolidas partes ſummam poteſtatem habent, juxta *Excellentiſſ. Dn. D. Wedelium in Phyſiolog. p. 292.*

IX. Quò itaque fortior eſt ſpirituum & humorum in partes muſculoſas influxus ab effluviis acribus continuo ſpiritus ad influxum ſtimulantibus, eo gravior fibrarum abbreviatio ac motus muſculorum conſtrictivus ac ſpirituum humorumque exploſivus exiſtit: Quæ exploſio ſpirituum & humorum in motibus convulſivis jam dudum ipſi *Avicennæ* nota fuit, qui *L. 3. Tr. 5. c. 8.* convulſiones & ipſam Epilepſiam quàm acutè comparat cum ſternutatione, in quâ manifeſta ſpirituum & humorum exploſio in menbranis narium ab effluviis acribus ſtimulantibus orta obſervatur.

X. ~ autem irritant illorumque influxum cum humoribus in partes impetuoſum reddunt, adeoque cauſam mediatam conſtituunt odores ſubtili acri maligno elemento ſtipati, qui non ſolum ſcheſin ac texturam ipſorum ſpirituum immutare ac copulam homogeneam deſtruere, verum etiam exploſivas acres particulas heterogeneas ſpiritibus ſuffundere, adeoque motum irregularem ac ſpasmodicum producere apti nati ſunt. Uti enim odores ſuaves ac medicamentoſi Archeum mirè afficere ac demulcere ſolent: Sic quoque præter naturales, morboſi immediatè ob conſymboliſmũ æthereum illum injuriari poſſunt, ut hinc non immeritò *ingenioſiſſimus Helvet. in Diribit. Medico*, omnes morborum cauſas ex variis ac peregrinis odoribus deducat.

cat. *Niſi enim res per ſaporem aut odorem Archeo arriſerint, nō intrò admittuntur juxta effatum acutiſſimi Helmont. in Tract. Medicam. p. 578.* Accedit quoque ad motum partium efferatum quod ſpiritus noſter de proſapiâ aſtrali merè electivus, dum qualitates heterogeneas inimicas perſentit & ad illas â communione vitæ excludendas ſeſe armat, ſummo conatu ac niſu motum excitat, qui deinde morboſus ac p. n. fit.

XI. Delinquunt autem talismodi odores non ſolum qualitate manifeſtâ ⊖no-♀eâ acri, verum etiam ſenſibus occultâ ac ſpirituosâ ſuaque ſeminali ac radicali agendi diſpoſitione gaudent. Sic in deleterio ☿♎to, in ſalivâ canis rabidi, vel viperæ excandeſcentis non ſolùm peccat acidum aut alcalinum principum, verùm potius qualitas ſpirituoſa idealis â luce inſitâ variè configuratâ exſurgens. Uti enim lux ſpirituum animalium, ab affectibus peregrinis variè modificata mirum in modum corpus alterare ſolet: Sic quoque ideæ (quæ nihil aliud ſunt quàm lux variam texturam nacta) corporum venenatorum regni microcoſmici cataſtrophas minantur.

XII. Peccare autem in affectibus convulſivis materiam quandam vaporoſam odoris ſpeciem æmulantem, variæ teſtatum faciunt obſervationes: Sic adſcenſus auræ ante paroxyſmum Epilepticum ex inferioribus ſæpè percipitur, uti *Zacut. Luſit. l. de Prax. Admirand. Obſ. 22. Tulp. l. 4. Obſ. 3. Höchſtetter in Obſ. Part. 2. c. 7. Gelen. l. 5. de Loc. Aff. c. 6.* aliique plures annotârunt. Idem patet ex *Hippocr. l. 20. de Flat.* qui materiam flatulentam in Epilepſia incuſat, it. ex *Avicenn. l. 3. Tract. 5. c. 8.* qui Epilepſiæ cauſam cum materiâ acri ſternutatoriâ comparat. Suo quoque hoc corroborat calculo *Helmont. in Tr. Imag. ferment. imprægn. maſſ. ſem. §. 17.* dum inquit: Epilepticum odore cadere, ſimulque ipſis odoribus erigi poſſe. *Sylvius* acidum volatilem naturalem ſpirituum craſin turbantem in motibus convulſivis allegat. Patrocinatur quoque noſtræ ſententiæ *Barbat. in Tr. de ſangu. & Sero. p. 80.* qui epilepſiam oriri ſtatuit, ſi flatus peregrini cum ſpiritibus animalibus permiſcentur ac ad membranas deferuntur.

# CAPUT. II.

## *De morbo hoc convulſivo ſpasmodico in ſpecie, ejusque cauſis.*

I.

CUm itaque impetuoſum ac irregularem ſpirituum & humorum in partibus muſculoſis motum odores fracidos 🜍eo-acres producere ſuperiori capite edoctum, hinc hi odores peregrini naturæ exitium minantes undè originem ſuam petant, perſcrutandum venit.

II. Nimirum adſunt in corpore noſtro humores alimentarii duo, Sanguis & Lympha, quorum quivis ſuum peculiarem ſpiritum vehit. Hi humores ſi eccentrici fiunt, vappeſcunt, corrumpuntur ac odorem fermentalem ſpirituoſum naturæ ſummè infenſum contrahunt, ob intimè ſibi intermixtos ſpiritus, qui intimi orem malignitatem hiſce excrementis foenerant: Quo enim excrementum eſt ſpirituoſius, eò etiam eſt malignius. Si itaque lympha, quæ perpetuum commercium cum ſpiritibus animalibus fovet, extra vaſa ſtaſin moliatur, ſimulque qualitatibus ſpirituoſis tingatur, fertilis morborum mater ac minera præſtò eſt. Excrementa enim hæc admiſſionis intimioris immediatè alloqvuntur ob mutuam φιλαλληλίαν, quam inter ſeſe invicem fovent, ſpiritus animales, ibique diſpoſitionem ſuam agendi ſeminalem malignam evibrant. Talis magnetiſmus eſt in totâ rerum naturâ; Sic ☿ ob homogeneitatem ☉, ♀ ☽, ♂ ♀ magneticè appetit: Spiritus geniture virilis ad geniturам femininam magnetico motu per poroſam ſubſtantiam fertur: Venenum ☿ale æthereum ad ſalivam tranſit, per quam penè omnia venena expurgantur: Miaſma peſtiferum ad tubulorum glanduloſorum glomeramina ſingulari naturæ robore magneticè defertur: Radii ☉res in cretâ particulis 🜍eis ſpiritus ⦶ imprægnatâ colligun-

guntur, ut inibi conſtituant lucem coagmentatam ſeu phoſphorum: Eodem modo excrementa ex lympha quæ contagio ſpirituum animalium haud immunis, orta, ſpiritus animales afficiunt ob conſymboliſmum ſuum ipſos alterant, ſcheſimq; ac texturam immutant, ut inepti fiant ad motum regularem ac naturalem edēdum, uti cujusvis rei ſpecifica forma particularum texturâ ac diſpoſitione immutatâ virtutem ſuam amittit: Id, quod infinitis experimentis Chymicis evidens evadere poſſet niſi brevitas nobis pro lege eſſet. Sic venena, purgantia texturâ particularum per additionem aliorum immutatâ draſticam ſuam virtutem amittunt.

III. Porrò cauſam conjunctam quoque motuum convulſivorum conſtituit ſpirituum debilitas ac ἀτονία nativa vel Adſcititia; facilius enim fermentum morboſum penetrare, faciliùs recipi in copulam ſpirituum, ipſisq; intimè combinari poteſt. Hinc nonnulli morbi, ex quorum cenſu etiam ipſa Epilepſia, ſæpè per plures annos dormiunt, & non niſi per affectus, qui ſpiritibus ἀταξίαν ac debilitatem conciliant, exſuſcitantur.

IV. Quodcunque igitur in noſtro ægro ſpiritibus dyſcraſiam conciliavit, ac tonum ipſorum dejecit, lymphamque ſtagnantem rappeſcentem ſpirituoſis peregrinis qualitatibus imbuit, illud ceu cauſa antecedens, (quam vulgò remotam vocant) veliſicari motui convulſivo, quo correptus fuit, multum valuit.

V. Ex rerum naturalium familiâ ſuffragium non proletarium ſuppeditat temperamentum melancholico-pituitoſum, quo æger noſter præditus, quod ſpirituoſi ſanguinis defectum, & lymphæ ſcoriis acidis collutulatæ abundantiam indicat: Ob ſordes itaque acidas Aſtres in ſanguine accumulatas ad ſtaſin lympha, quæ minùs ſpirituoſa, maximè proclivis exiſtit. Nec ſexus ac ætas quoque huc declinant: Hæc enim humorum crudiorum ac ſordium ⊖narum admodum ferax fuit.

VI. Conſtitutio ſpirituum â primâ nativitate frigida & humida ſeu ☽tica multam quoque aurigatur generationi affectus noſtri. Spiritus enim debiles, frigidi & humidi non ſolum rationis imperio minùs ritè præſidere poſſunt, verum etiam ad

 quas

quasvis impreſſiones externas recipiendas ſunt aptiſſimi, & hinc juxta *Paracelſum* ☽tici ſpectris ut plurimum vexantur, quæ ſæpiſſimè nihil aliud ſunt, quàm entia quædam imaginativa quæ phantaſia ob ſpiritus debiles firmiter citra voluntatem ſibi imprimit, ut ſpectrorum apparentia præſupponat non nunquam inſomnium vigilantis ſeu leve delirium. Et hinc omnes illi, in quibus rationis imperium ob ſpiritus debiles ceſſat, ut melancholici, ſenes, mulieres, febricitantes, timore correpti, tempore nocturno facilè ſpectris vexantur, illorumque phantaſia cruciatur. Adeoque non immeritò *Paracelſus* nonnullos qui â ſpectris continuò cruciantur, per medicamenta, quæ in debitam activitatis ſphæram ſpiritus ponunt, reſtituere conatur.

VII. Scabioſa lues quâ æger noſter per aliquot tempus tentatus multum quoque generationi affectus hujus convulſivi patrocinatur. Hæc enim indicat ſtatum ſanguinis ac lymphæ cacochymicum, & ſeri peregrinis ⊖bus polluti circa glandulas ſub cutaneas miliares ſtagnationem ac vappeſcentiam.

VIII. Terror tandem â viſo ſpectro ortus penè omne punctum in productione affectus noſtri convulſivi abſolvit. Hic enim non ſolum ſpirituum tonum diſſipare, delicatamque nervorum compagem dejicere, verum etiam lympham in parte ſtagnantem ſpirituoſâ qualitate radicaliter imbuere apto genio gaudet: Terroris enim, uti omnis affectûs idea per totum ſyſtema nervoſum non aliter ac ſonorus tremulus motus per △ propagatur ac diſſeminatur, & hinc quoque ipſa lympha, quæ cum ſpiritibus animalibus perpetuum ac amicabile commercium fovet, hâc peregrinâ ideâ imprægnatur. Teſtantur id affectus animi, qui in ipſum menſtruum microcoſmicum ſalivale, quod lymphæ ſoboles eſt, ſuam agendi poteſtatem evibrat: Sic motis ſpiritibus ab affectibus, â medicamentis ☿libus, lympha ac ſaliva eôdem modô movetur & orgaſmum patitur: Sic femina gravida terrore percuſſa peperit puellam caduco lethali obnoxiam, ut notat *Hildan. Cent. 1. Obſ. 8.* Adeò idea beneficio ſpirituum animalium omnibus partibus communicari poteſt. Cuſtodire autem terroris ideam facultatem in diſcurſivum ac anomalum

mo-

motum ſpiritus cogendi, eorumque craſin immutandi, liquidò patet ex plurimis lugendis hiſtoriis Epilepticorum, qui â ſubito terrore affectum hunc ſibi contraxerunt. Vid. *Heer. Obſ. 23. p. 274. Amat. Luſit. Cent. 12. Curat. 90. Helmont. de Ort. Imag. morb. It. Salmuth. Cent. 2. Obſ. 73.*

IX. Porrò multum quoque ad noſtrum affectum contribuit ſtagnatio ac corruptio ſangvinis & lymphæ in poroſa pollicis pedis ſubſtantiâ cauſata ab immani terrore, cum ſpectrum pollicem hunc tempore nocturno extrahere moliebatur. Spiritus enim in hâc parte â terrore ſummè perculſi â circumferentia ad centrum regreſſi fuerunt, & hinc non potuit non ſequi lymphæ ac ſangvinis ſtaſis, corruptio & ſuppuratio. Quaſcunque enim partes ſpiritus vitæ lucidus, putredini reſiſtens, non ampliùs attingit, in illis oritur putredo, ut elegantisſimè philoſophatur *Paracelſ. in part. 3. libr. 1. p. 3.*

# CAPUT III.

## *De explicatione ſymptomatum ac morbi hujus Prognoſi.*

I.

ENumeratis hactenus cauſis, â quibus tanquam prolificis parentibus affectus noſter ſpaſmodicus dependet, jam meditatio devolvenda eſt ad ſymptomatum legitimam enodationem ac explicationem, quæ acerbiſſima fuerunt, ſignaque morbi Diagnoſtica conſtituerunt.

II. Horrore æger percutitur. Hic ſingularis affectæ ſenſationis ſpecies eſt immediatè ab Archeo cauſata: Nimirum ille peregrinis qualitatibus perceptis valdè percellitur, â circumferentia ad centrum movetur, eâdemq; operâ ab omni fermentatione vacat. Hincque ætheris quies, in qua frigoris vera eſſentia ſecundum *Carteſium* conſiſtit, neceſſariò ſubſequi debet Fermentatio

mentatio enim nihil aliud eſt, quàm motus æthercarum particu-larum in materiâ ♎eâ fermenteſcibili excitatus à ſpirituum in-fluxu.

III. Sudore frigido corripitur, qui à lympha omni ſpiritû orbata ac ſubſiſtente frigida per poros ſubcutaneos ſub guttula-rum forma promanante ortum ducit.

IV. Virium debilitate laborat ob fermentationem vitalem Archei fabrum in partibus debilem ac labaſcentem, quæ prove-nit à dyſcraſiâ tûm ſpirituum, tùm humorum.

V. Appetitus planè emortuus eſt: Hic enim non ſolùm eſt actio ipſius ventriculi particularis, ſed potiùs ſyſtematica à totâ depen-dens ſpirituum familiâ. Hinc omnibus penè morbis, in quibus ſpi-ritus non ritè ſunt conſtituti appetitus proſtratus complicatus eſt, ac ſponte quoque redit in ſtatum naturalem poſitis ſpiritibus per panaceas, quæ immediate ſpiritus afficiunt, & hinc ſæpè nomine ſtomachicorum veniunt.

VI. Inſtar arcus inflexi corpus in ſublime tollebat: Hoc phænomenon debetur ipſis ſpiritibus animalibus in ſpinali me-dulla ac plexibus nervoſis abdominis conſitisſimis inſigniter irritatis à particulis heterogeneis acribus denſiùs ipſis agglome-ratis. Hinc non potuit non ſubſequi animali regimine influxus ſangvinis & ſpirituum vitalium citatior ac impetuoſior in partes, qui ob fibras immaniter contractas ac diſtenſas muſculos ab-dominis climati dicatos ſpaſmodicè ac dolorificè contraxit, par-teſque annexas ſimul ſurſum movere aptus extitit.

VII. Calor p. n. pulſus citatior, vigliæ debentur citatiori ſpirituum ac humorum in partes confluxui, item circulationi ac evolutioni. Motus quoque muſculorum fortiter contractivus ſangvinis & lymphæ circulationem multùm promovet: Quò fortior autem eſt ſangvinis circulatio, eò velocior motus particu-larum ætherearum, & per conſequens calor fortior, ſpirituum a-credo, quæ vigilias gignit, producitur.

IIX. Sitis ægrum affligit ob lympham ⊖ſiorem ac magis aduſtam à ſangvinis acri fermentatione redditam, quæ orificii ſi-niſtri fibras nerveas ſtimulando moleſtâ ſenſatione afficit Arche-um, quæ Archei paſſio dicitur ſitis ſeu appetentia humidi.

IX. Alvi

IX. Alvi contumax adſtrictio adeſt, quæ penè omnibus ſpasmodicis motibus conjuncta eſt,ut colicæ calculo,Epilepſiæ,paſſioni hyſtericæ, hypochondriacæ. Fibræ enim inteſtinales nerveæ ob nervorum in toto corpore colligantiam ac communionem ſpasmodici aliquid ſimul experiuntur, & hinc ſpirarum inteſtinaliũ motus periſtalticus inordinatus ac quaſi inverſus fit,dum ſpira illa,quæ debebat dilatari,ſimul conſtringitur.

X. Delirè nonnunquam loquebatur ac per feneſtram ſeſe præcipitare volebat.Spiritus enim copula ſuâ activâ homogeneâ deſtructâ ſcheſique immutatâ non amplius imperare phantaſiæ queunt. Hinc ob ſpiritus debiles phantaſiâ fortiori circa aliquam rem redditâ memoria ac ratiocinatio ſemper læditur juxta *Galen. l. 3. de Loc. Aff.* ſive inſomnium fit vigilantis juxta *Helmontium.*

XI. Lingua nonnunquam deficiebat ob muſculos linguæ motui inſervientes convulſos. Non raro enim motibus convulſivis conjungitur linguæ amiſſio *Vid. Beniven. c. 9. de abdit.*

XII. Per certa intervalla paroxyſmus rediit. Natura enim non ſemper in motu exiſtere poteſt, ſed inducias ſibi nonnunquam concedit, nihilominus per certas periodos motus naturæ redit: Archeus enim de aſtrali proſapiâ participans ac plaſticâ ſcientiâ præditus omnia ordinatè agit, menſuræque numeri ac ponderis imò temporis eſt callentiſſimus: Sic naturæ inſtinctus ad prandium, ſomnum, vigilias ſtato tempore nos iterum ſollicitat.

XIII. Symtomatum hactenus expoſitorum contemplatione manu quaſi ducimur ad decernendam eventuum prognoſin, & quidem primò ratione Salutis & Mortis. Hic morbus curatu admodum eſt difficilis: Difficultas autem in illo conſiſtit, quod ſpiritus animales, qui ſupremum in corpus jus atque imperium poſſident, motusque ac ſenſus parentes ſunt, â tono ſuo penitus dejecti & p. n. conſtituti ſint, qui non niſi per medicamenta centralia intimioris admiſſionis legatos reſtitui poſſunt: Deinde quia ſpiritus animales ſingulis paroxyſmis magis debilitantur, eorumque textura invertitur, & tonus diſſipatur, ut deinde materiæ cujusque heterogeneæ incurſibus facillimè pateant,

teant, adeoque ipſa diatheſis morbida repetitis paroxyſmis confirmata atque radices altiùs agens ægrè tollatur: Accedit quoque quod ſtatus lymphæ cacochymicus, ſpirituum naturalis atonia ac delirium ſimul adſint.

XIV. Verùm ſpes adhuc refulget optimæ curationis, beneque ſperare jubet ægrum ætas juvenilis calido innato vegeto adhuc pollens item, quod ſpiritus animales cerebri meditullio inſiti nondum â peregrino fermento injuriati inque ſpas modicos motus concitati ſint. Porrò quoque morbus eſt recens nec inveteratus, adeoque etiam facilius diſſipabilis.

XV. Ratione longitudinis morbus hic in poroxyſmo ſat eſt acutus, per longum tamen tempus durare poteſt, ſi præprimis degeneret in Epilepſiam, melancholiam, paralyſin, qui affectus maximè ſunt conſororiantes. Interim tamen heroicis ac magnificæ famæ remediis non deſtitutus brevi ut curari poſſit, promittimus, ſi præprimis illis ex præſcripto utatur. Miſerum enim eſt cum nolis mori non omnia facere ut vivas. Ratione eventûs terminabitur morbus placato ſpirituum impetu ac ataxiâ & motu illorum anomalo deſtructo, item factâ odorum malignorum acrium volatilium diſſipatione.

# Caput. IV.

## *Curam tradit.*

I.

INquirendæ affectus noſtri convulſivi naturæ omnis hactenus fuit dicata ſolicitudo, profligādi ergo illius reſtat ut meditemur curam, quæ ut ex cauſarum connectione fluat, quatuor abſolvatur Indicationibus. Primò enim ſpirituum ac humorum in partes influxus citatior, actuoſior, ac ſpasmodicus irregularis placandus, ac demulcendus eſt. Secundò ſpiritus ſummâ atoniâ ac dyſcraſiâ laborantes confortandi ac corroborandi ſunt. *Tertiò* odores maligni acres volatiles diſſipandi ac deſtruendi, ac demum *Quartò* lymphæ ςάσις ac vappeſcentia impedienda, copioſa eliminanda.

II.

II. Spirituum autem ac humorum enormem & ferocem nfluxum ac motum ſiſtunt placantque V. S. inſtituta præprimis n pede, hâc enim ſanguis elaſticitate ac vi expanſivâ præditus gregie ventilatur ac imminuitur. Ob hanc quoque cauſam mire ollaudatur à Practicis in omnibus motibus convulſivis. Vid. *Ienr. ab Heer. Obſ. 29. p. 329* qui puellam convulſionibus di- is tentatam nullis medicamentis reſtituere potuit niſi ſolâ V.S. *. Foreſt. l. 20. Obſ. 96. Zacut. Luſit. l. 1. Prax. Adm. Obſ. 29. it. Iecch. in Conſultat. p. 851.* qui ad imminentem paroxyſmum pilepticum cohibendum ait, præſentiſſimum remedium & au- ilium eſſe, ſi ſanguinis paululum juxta talum utriusque cruris ittatur. Hæc quoque in ægro noſtro mirandas vires præſtitit.

III. Ligatura quoque & conſtrictio abdominis ad impe- uoſum ſpirituum motum blandè compeſcendum parteſq; mem- ranaceas detinendas multum facit, & hinc quoque in omnibus otibus ſpaſmodicis locum habet.

IV. Porrò quoque clyſteres ſingulari facultate pollent, iritus ad partes inferiores derivandi, ut inibi ſeſe liberent irritantibus peregrinis humoribus, & hinc clyſteres in nnibus motibus convulſivis ac affectibus capitis ſunt conve- entiſſimi. Concinnari poſſunt ex variis herbis nervinis, emol- ntibus ac ſtimulantibus.

V. Tandem quoque anomalum ac diſcurſivum ſpirituum humorum in partes muſculoſas influxum, blandè demulcent ac tinent medicamenta 🜍 anodynô delibuta, blandiſque parti- lis paregoticis & ſvavi *ἀναθυμιάσει* gaudentia v.g. inter vege- bilia palmam præripiunt opiata, ut Laudan. opiat. per fermen- tionem enchiriſi *Langelottianâ* paratam. it. Eſſ. anodyna ex udan. opiat. p. iij. Balſ. Apopl. p. 1. cum 🜖 ♀ſato acuato prius m ♁ ⊖ dulci parata. It. terreſtre illud, quod in opio eſt cum ſpi- u ⊕li fixatum ac calcinatum, ſuppeditat laudatiſſimum ano- ynum. Spectant huc quoque ex vegetabilibus ∇ tiliæ 🝆 tum buxi, famoſum Heraclin. *Ruland.* it. 🝆 hyoſc. expr. ac tum, quod cum 🝆 NM, 🝆 caſtor. Zibeth. balſ. Peruv. addi- momento ♄ nativ. & guttul. de 🝆 rut. ſalv. roriſmar re- ixtum externè inſtar incantamenti ſpaſmodicos motûs ſiſtit.

Ex anodÿnis è regno minerali petitis, quæ adhuc majoris ſunt energiæ eminent ♁na 🜍e fixiori ♁ arctiùs intertexto imbuta, præprimis ♁is cum oleo ⊕li fixata, quæ vera eſt panacea Anvvaldina, ut *Dn. Jünck. in Chym. Experiment. Curioſ.* monet, Celebris quoque eſt pulv. ex ſcoriis reguli ♁ ultimâ 🝕tatione cum 🜀 ⊕li inſtitutâ collectus.

VI. Porrò ſpiritus dyſcraſiâ inſigni laborantes confortant ac nervos ſolantur. (α) Medicamenta ⊖ volat. blando 🜍eo pollentia, quæ ſpiritibus naturalem ſcheſin ac craſin inducunt, ipſisq; maximè amica exiſtunt; laudem hinc merentur ſpiritus ⊖ ✱ci vinoſus cum ▽ apoplect. l. ▽ lil. convall. 🜀oſi mixtus ac externè vel internè applicatus it. ſpirit. nerv. volat. ex ſuccin. caſtor. croc. balſ. Peruv. cum 🜀, addita ſ.q. ⊖is ♀ & ⊖ ✱ci ♌tus it. Eſſ. caſtor. cum 🜀 hoc nervino penetrantisſimo volat. parata Elix. cephal. *Rolfinck. Dn. D. Wedel*, quæ medicamenta in debilitate ſpirituum ſummam efficaciam poſſident. (β) Acida 🜍eo volatili principio pollentia, quæ effluvia acria ſpirituum refrenant ac motum concitatum ipſorum ſufflaminant & figunt. v. gr. 🜀 ⊕i dulcis, omne quoq; hic abſolvit punctũ 🜀tus ⊕li fumoſus ex ⊕ optimè per crebras ſolutiones ac coagulationes depurato ♌tus, ſi præprimis aliquoties ſuper ☺ cohobetur, it. phlegma ⊕ à 🜀 ⊕ recenter ♌to abſtractum, quod verum 🜀 ⊕ judicat *Paracelſ. in part. 6. p. 253.* it. 🜀 ⊕ ♀ ex ☺ florum ⊖ ✱ci ♀is præparatus. Inter omnes autem hos 🜀 acidos volatiles excellit 🜀 ille ⊕ volatiliſſimus, qui paratur ex ⊕ ♂li 🜀 ⊖ ✱ci ebrio in 🜀 vitreâ △ aperto ♌tus, qui reverâ vice fungitur 🜀us epilept. Hartmann. Spectant huc quoque ℞æ ex 4. fl. cordial. roſis, fl. pœon. cum menſtruo acidulo volatili præparatæ.

VII. Denique vapores malignos 🜀oſos acres, qui tenerrimas nerveas fibrillas mirum ſauciant, diſſipant ac deſtruunt præter cauteria, quæ ab *Hippocr. l. de morbo ſacro*, à *Trincavell.* it. à *Williſ. Tr. de morbis Convulſ. c. 3.* miris encomiis ornantur, (α) veſicatoria, quæ ad peripheriã humores ac vapores attrahunt, inq; noſtro ægro magnã opem locarunt. De horũ ſingulari uſu in Epilepſiâ ac motibus convulſivis *v. Excell. Dn. D. Faſchus in diſſ. de Veſicat.* (β) Sudorifera tùm volatilia, tum fixa, quæ odores acres

malignos quàm optimè diſſipant, ac è communione vitali excludunt. Omnibus hic palmam præripit 🜁 ebor. balſam: cujus vires excellentiſſimæ ſunt: confit hic ſi Eſſ. balſ. Peruv. cum 🜁⊖✱ vinoſo parata commaritetur cum 🜁 ebor. ac leni digeſtione foveatur, it. 🜁 C.C. ſuccinat. ℞ a Bezoard. Eſſ. corall. volatilis cum 🜁 ligni coryli parata inſigne merentur encomium: tùm fixa, ut ♉ Diaph. ceruſſa ♄ candore eleganti acceptiſſima, quæ vera materia perlata *Crigneri*, it. *Dn. D. Richteri, Practici Sittavienſis*, panacea famoſa exiſtit (reduci enim quàm comodè beneficio carbonum in ♛ iterum poteſt.) it. ♄ ♉ nativa vel etiam factitia, remixta præprimis cum ⊖ volat. Ebor. fixato in cryſtall. ♀. it panacea ex electro majori cum p. iij ⦶ i calcinato præparata. Omnibus quoque hic palmam dubiam reddit ☿ diaph. Helm. qui ad imitationem quàm commodè ex ♄♉ cum 🜁 ♀ viridi (qui emergit ex ☺ fl. ⊖ ✱ ♀ eorum per 🜁 ♌ to) fixatâ, depromi poteſt. it. commendabiles ſunt pulveres claſſici Bezoard. quorum modus agendi hic eſt, ut nimirum acidum ſpirituoſum excrementitium magneticè quaſi attrahant, ſeque cum ipſo intimiùs ſaturent. ut mutuâ cenſermentatione fiat benignum naturæ amicum, non aliter ac ☿ alia, ▽ ea, fixa, ſi miſcelam ac copulam ineunt cum medicamentis draſticis, omnem vim ipſis demunt illaq; enervant. (γ) Magnetica, quæ ob pororum ac particularum homogeneitatem maximè apta exiſtunt odores acres magneticè quaſi attrahere & recipere, ſicque paroxyſmum avertere præmiſſis inprimis præmittendis. Laudantur hunc in finem ſtercus pavonis, in quo egregius latet magnetiſmus, commendatum à *Williſ.* item *à Borell. Cent. 3. Obſ. 15.* ▽ de ſtercore vaccæ nigræ, *Crollii* arcanum eſt. Pulvis antepilepticus *Heer.* ex cran. human. excremento pavonino veſica apri cum lotio in furno ſiccata, viſco colurno, ℴℴ ſuccin. inodoro conflatus & deſcriptus in *Obſ. p. 276.* magni quoq; faciendus. Porrò inter transplantativa ac magnetica laudatiſſima ſunt ſanguis humanus, de cujus uſu vid. *Barthol. Cent. 2. hiſt. 78. it. Cornel. Celſ. l. 3. cap. 13.* 🜁 ejus ab *Helmont. in Tr.* 🜁 *Vit. §. 16.* magni æſtimatur. Eſſentiam ſanguinis humani cum 🜄 paratam laudat *Paracelſus.* 🜁 ſecund. human. pleno ore deprædicat *Cnæfelius* qui Re-

gem Poloniæ Epilepticum illo reſtituit. ⊖ cran. human. volat. it. Cran. human. præparat. ⊖ volat ungul. alcis in ſpasmodicis ſpirituum inſultibus ſingularem quoque promittunt energiam atque effectum: ⊖a hæc volatilia ex regno animali oriunda *Borrich. in Act. Med. Haff. Vol. 2. Obſ. 68.* mirè æſtimat non ob auctoritatem clariſſimorum virorum, ſed ob temperamenti analogiam, quippe quæ ⊖ia jam ante in corpore humano nata & fermentata poros omnes capitis diu perreptarunt, eosdem in alio, ſed ægro capite tantò invenient facilius, hoſtilemque morbi cauſam exterminabunt. Inter vegetabilia eminent rad. pæon. viſc. qvercin. coryl. bacc. herb. Parid. ramus ſambuci in ſalice antiquâ naſcens, qui etiam externè applicatus epilepſiam ac affectus nervorum profligat. Vid. *Barthol. Cent. 4. hiſt. 69.*

IIX. Tandem Lympham ſtagnantem vappeſcentem acido charagmate notatam in ordinem redigunt, corrigunt, ac evacuant (α) Salivantia, quæ ſpecificè ſpiritus animales movendo lympham movent, & ob hanc cauſam divinas medentibus porrigunt manus in deſperatis quibusdam morbis à lymphâ ſpirituoosâ ſtagnante incunabula agnoſcentibus, imò *DN. Ludovici in Tr. de volatil.* ⊖ ☿ *p. 83.* omnis generis panaceas ſub pari operandi modo feliciter in morbis quamplurimis dari ſtatuit. Omnem hic ſuperant laudem ☿. dulc. ♃ri aſtro inprimis exaltatus, it. ☿ cum ☉ & ☽ amalgamatus, & △ fortiter per diem adminiſtrato in pulverem rubicundum egregiè lympham moventem, qui vera panacea *de la Vigne, Medici Regis Pariſienſ.* exiſtit redactꝰ, doſis eſt à gr. ij. ad gr. iij. Nec inferioris energiæ quoq; eſt ãã ☿ ☉re benè per lotionem à ſcoriis nigricantibus depuratum & frequentiori 🜄tis abſtractione in pulverem rubicundum fixatum: ♄ quoque ex ♛ ♀ ( qui ♁ maximè abundat) cum 🜍mato parata minus quidem nota, aſt elegantiſſima, ☿o diaphoret. cuivis palmam dubiam reddens. It. ℞a ♄ ☿ſata vel ⊖ ☿eum ♄le☉eum ex ℞a ♄ ☿ſata evaporata emergens, inſigni encomio dignum. Porrò decantatiſſima quoque eſt ℞a ☽æ it. Eſſ. ☉ ſequenti præprimis enchireſi præparata: Nimirum ☉ amalgametur cum ☿, & ☿ in laminâ ferreâ iterum evaporet. ☉ relictum ſubtiliſatum & cum fl. ♁ leniter poſteà calcinatum ~ui ✱ci vinoſo vel

⁓ui ⊖ ſubtiliſſimo, vel ⁓ui 🜋 affuſo elegantiſſimam ſuam elargitur Eſſentiam, quæ potentisſimè non ſolum obſtructiones expedit, amurcam venarum reſolvit, & feces alvinas nigrô colore tingit, verùm etiam Oeconomiam ſpirituum mirè ſimul confortat. (β) Vomitoria quæ non ſolum ſalivalem laticem miliares œſophagi glandulas vellicando evacuant ſordesque impactas removent, verum etiam ſingulari virtute fulgent ſpiritus animales ac lympham ſtagnantem movendi inque ordinem redigendi. Laudem hunc in finem potiſſimum merentur ☿alia fixa & ♁ta, v. g. ⊕ ☉is, vitrum ♁ii ☉re, quod efficaciſſimum ſimulque egregiè confortativum, it. ♁ nativ. vel ☉ fulmin. cum croco metall. vel ♀ emet. commaritatum. (γ) ♂lia, quæ ⊖a acida abſorbendo ac præcipitando in lympha ſunt indicatiſſima eminent: Ex horum cenſu R̄a ♂ *Zwelf.* ex tempore ex liquore ♂li cum arcano ♀ vel R̄a corall. conjugium ineunte parata, it. R̄a ♂ balſamica. Crocus ♂ ſaccharin cum pulv. abſorbente Dn. D. *Wedel.* mixtus. (δ) Purgantia, quæ ſerum correctũ quantitate delinquens per tubulos inteſtinales evacuant. Inter hæc ſelectum merentur Helleborina, quæ à *Paracelſ. Ballon. Fabro in Prax. Tackio in Chryſog. Anim.* it. *Cnœſelio* in morbis capitis mirè depredicantur. Hic in uſu familiari habuit pulverem ſeqq. ℞ fol. Helleb. nigr. veri ſacch. albiſſ. āā ℥j ⊖ eſſential. acetoſell. gr. XXIV. Elæoſacch. cort. citr. recent. gr. Xii M. F. Pulvis Doſis eſt à ℈i ad ℈ii. Pulvis quoque purgans ex reſin. Gialap ſcamm. ceruſſ ♁ cryſtall. ♀ ac 🝆 cort. citri adornatus non ſuâ laude caret. (ε) Præter ſudorifera ſuperius memorata diuretica quoque conveniunt quæ ſaburram ♀eam 🜄ſtrem per renale congruum evacuatorium eliminant. v. g. locum hic commodum inveniunt oculi ♋ ⁓ ⊕i dulci ♌to, (qui longè elegantior eſt ſapore ac odore,) imbibiti. it. arcan. ♀ copula amicâ ⊖ volat: ſuccin. aſſociatum ⁓ ⊖ ✱ quoque eſt laudatiſſimus coagulatus in cryſtall. ♀ vel cum ⁓ ⊖ dulc. mixtus.

IX. Data itaque cura generali ac medicamentorum ſelectu ſuppeditato difficile non eſt prudenti memoratarum mixtura formularum varia concinnare genera, ita ut quævis formula pluribus indicationibus ſimul ſatisfacere poſſit.

X. Tan-

X. Tandem Diætam, nequid deſiderari videatur, brevibus ſubjungimus. Aeris nimirum declinet æger enormitatem, cibos flatulentos, acres, ☉ſos, pituitoſos cane pejus & angve fugiat, vinum, omniaque ſpirituoſa parciſſimè hauriat, motûs & quietis æquilibrium ſervet, affectibus animi nunquam indulgeat, & excretiones conſvetæ, ſi reſtiterint, promoveantur.

---

*Præ-eximio ac clare docto*

# DN. GLYTZIO, ſ. pl. d.

## PRÆSES.

*VEram animi quietem, à Deo, ſapientiâ, & literis eſſe divinitus dictum quis neget ? Hæc enim vera virtutum pediſſequa, effato* Taciti proprium hominis bonum, *hæc hominem DEO jungit, cujus tanta vis eſt, ut omnia ſi ex altera parte ponantur, ne appareant quidem. Felix itaq; ille, quem pietas, ſapientia, eruditio commundat. Longe autem felicior adhuc ille æſtimandus, qui non ſolum in literis Deum ſapit, verum etiam ipſam ſapientiam traducit ad medicinam & medicinam ad ſapientiam.* Medicus enim philoſophus ſ. ſapiens juxta Divinum Coum tr. de medico l. 1. ſ. 1. Deo æqualis habetur. Nam neque multum inter ſe differunt, & quæ ad ſapientiam requiruntur, in medicina inſunt, nim. pecuniæ contemptio, pudor, modeſtia, exiſtimatio, judicium, mundicies ſententiarum elocutio & divina præſtantia. *Delector itaq; tuo animo mi amiciſſimè Glyzi, & ejus in ſtudium medicinæ ac ſapientiæ ſeu virtutum impetum, ex quò novi, amavi, idq; eo magis, quod non ſolum in vita Tua eximia pietas, in moribus probitas in actionibus ſingularis alacritas eluceat, verum etiam Te elegantiori literatura ac medendi peritia cultum præſens loquatur, ſpecimen, ſiq; ex prima delineatione totius picturæ æſtimanda perfectio, ſane Te uberrimum tandem fructam patriæ fœneraturum eſſe confido. Indulgeat Clementiſſimus, Teque diu ſervet bono publico, patriæ, cui etiam natus es. Nil amplius addo præterhoc: Spem & ſuſtine ſic fortunam & invidiam vincere facillime poteris. Vale! Dabam Jenæ è Muſeo die 13. Aprilis Anno 1682.*

S. D. G.